





29  
DEMONSTRATIO  
IMMORTALITA-  
TIS ANIMÆ

EX  
INTIMA EIVS NATVRA  
DEDVCTA.

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
LVDOVICI PHILIPPI  
THÜMMIGII,

REGIÆ BORVSSICÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM SODA-  
LIS, ORDINIS PHILOSOPH. ADJVNCTI.

PVBLICE DEFENDIT

CONRADVS HENRICVS MENSCHINGIVS

BÖRRY - HANNOVERANVS,

H. L. Q. C.

DIE XII. DECEMB. AN. MDCCXXI.

ALTERA VICE RECUSA. A. 1723.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Literis JOH. CHRISTIAN. HILLIGERI, Acad. Typ.



DEMONSTRATIO  
MORALIUM  
ET ANIMAE  
EX  
INTIMA ET NATURALI  
DEDECTA  
SUA RATIONE  
F. V. D. V. P. P. P. P.  
T. H. M. M. I. G. I. I.  
CONRADVS HENRICVS MACHINGVS





VIRIS  
SVMME - REVERENDO ATQUE  
DOCTISSIMO,  
DN. PAULO  
DIETERICO  
STISSERO,

MAJ. REGIAE BRITANNICAE IN ELE-  
CTORATU BRUNSV. AC LUNEB. A CONSILIIS  
ECCLESIASTICIS, PASTORI AC SVPERINTENDENTI  
ECCLESIAE BOREYENSIS FIDELISSIMO,  
VIGILANTISSIMOQVE :



NEC NON  
EXCELLENTISSIMO ATQVE  
CONSULTISSIMO

DN. GEORG.  
EBERHARDO  
BLOCKIO,

MAJ. REGIAE BRITANNIAE IN ELE-  
CTORATU BRUNSV. AC LUNEB. A CON-  
SILIIS AULICIS &c,

MUSARUM MEARUM SATORIBUS

AETATEM SUSPICIENDIS  
HANC DISSERTATIONEM  
PIETATIS MONUMENTUM STATUIT

*RESPONDENS*  
CONRADUS HENRICUS MENSCHINGIUS.





IMMORTALITAS ANIMÆ  
EX  
INTIMA IPSUS NATURA  
DEMONSTRATA

CAP. I.  
NOTIONEM IMMORTALITA-  
TIS EVOLVIT.

§. I.



Quamvis ab omni retro ætate, qua scientia in deliciis fuisse, in immortalitate animæ perquirenda omnes ingenii industriaque nervos intenderint Viri cæteris acumine præstantes; haud quam tamen si non omnes, saltem plerique non satis percepisse mihi videntur, quid immortalitatem animæ adstructuris probare incumberet. Quamobrem quid sibi vox velit, ut ante explicemus, quam rem ipsam omnium Philosophorum consensu arduam sane multisque difficultatibus circumseptam aggrediamur, ipsa nobis necessitas legem imponit.

§. II.

Enim vero, ne quis forsitan opinetur, nos innovandi studio vocis significatum in mutatu-  
ros, ut singulare quid-  
piam

*Cur accurata nominis explicatio-  
re opus sit.*

*Quomodo ad  
eam perveniamus.*



piam supra omnes præstitisse videamur; agedum! ex ipso loquendi usu eundem derivemus. Immortalitatem mortalitati opponi, nemo est qui ignorat. Quis vero est, quem fugiat oppositorum oppositam esse rationem? Ut itaque nemo non ultro largiri cogatur, notionem immortalitatis a nobis minime fingi, sed eam sumi quam fert loquendi consuetudo; in notionem mortalitatis nobis inquirendum est: qua stabilitatis communis ille Philosophorum canon loquetur, quamnam immortalitatis ideam animo conceipere debeamus. Ipsa nimirum vox immortalitatis insinuat, ab eo, quod est immortale, removenda esse, quæ mortalitatis rationem constituunt. Contueamur ergo opus est mortalitatem, ut palam fiat, quæ ab immortali removenda.

## §. III.

*Notio mortis evoluta.*

Corpus *mori* dicitur, quando a functionibus suis singula ejus organa prorsus cessant ita ut e. gr. nulla amplius vi pulmonum perficiatur respiratio, nec cor sanguinem a venis adjectum in arterias denuo propellat. Unde ex defectu spiritus per arteriam asperam emissi atque arteriarum pulsus mortis præsentiam colligit vulgus. Perinde nimirum se se habet corpus mortuum ac horologium ob vitiatam structuram a mortu prorsus cessans. Hunc vero statim sequitur ejusdem interitus, quo non modo totius corporis, sed singularum quoque partium quantumvis exiguarum structura penitus dissolvitur. Quoniam essentia corporis in structura ejus consistit; interitus actualitatem essentia tollit, adeo, ut nihil ejus restare dici possit, etsi ne minima quidem materiae particula, quæ compositionem ingrediebatur, interierit. Atque adeo per *Mortem* corporis intelligunt omnes eum ipsius statum, quo singula organa simul a functionibus suis prorsus cessant & interitus totius sequitur.

## §. IV.

*Quo sensu*

Patet ergo, mortalem fore animam, si ab operationibus suis



his profusus cessaret, ita ut nec ulla in eadem amplius locum haberet perceptio, nec appetitus ullus, sique eo cum statu connecteretur ejus interitus, quo quicquid ejus est, ita dissiparetur, ut essentia actualitas tolleretur.

*anima foret  
in  
eis*

§. V.

Atque sic evincitur, hoc requiri, ut anima sit immortalis, ut scilicet ejus essentia perenner ipsaque operationes suas continuet. Quamobrem cum nunc perceptiones totales sint distinctae, ita ut multa, quae una percipit a se invicem discernere valeat, atque sui ipsius conscia existat, quod eadem sit, quae heri ac pridie, hoc est, ejus notionem habeat, quod voce *Ego* indigitare sivevimus; si quidem immortalitas de eadem afferenda, ut a morte corporis in statu perceptionum distinctarum perseveret atque statuum suorum praeteritorum recordata eos ad se pertinere agnoscat necesse est.

*Quid sit im-  
mortalitas  
animae.*

§. VI.

Discimus hinc, quamnam argumentis invictis comprobanda veniant, ubi quis animae immortalitatem demonstrare susceperit. Scilicet ostendendum est 1. animam hominis a morte corporis superesse, nec essentiam ejus cum essentia corporis actualitate privari, 2. animam ita superstitem in statu perceptionum distinctarum perseverare, 3. eandem statuum suorum praeteritorum ita recordari, ut eos ad se pertinere agnoscat. Quatenus essentia animae a morte corporis perennat, *indestructibilis* dicitur: quatenus una in statu perceptionum distinctarum perseverat & sui ipsius memoriam habet, *immortalis* appellatur.

*Quid osten-  
dendum sit  
animae im-  
mortalita-  
tem demon-  
straturo.*

§. VII.

Vulgo Philosophi immortalitatem cum indestructibilitate confundunt, se illam sufficienter demonstrasse putantes, ubi animam a morte corporis superesse

*Quam con-  
fusa sit im-  
mortalitatis  
notio a-  
pud Auctores.*



adstruxerint. Hoc vero mihi perinde videretur, ac si quis ex indestructibilitate materiae argueret, corpus esse immortale: Quod enim est substantiale in anima respondet materiae corporis. Unde optime observavit *Leibnitius* in Theodicea Part. I. §. 89. indestructibilitatem ab immortalitate in eo differre, quod substantia indestructibilis tantum conservet individualitatem physicam, immortalis vero etiam moralem, eadem personalitate subsistente. Subsistit personalitas, si anima statuum suorum praeceptorum ita recordetur, ut eos ad se pertinere agnoscat. Enim vero id fieri non posse, nisi in statu perceptionum distinctarum perseveret, paulo post pleniori brachio pertractabimus. *Socrates* apud *Platonem* in *Phaedone* tacite admisit perseverantiam in statu perceptionum distinctarum, sed personalitatem subsistere debere non advertit: quæ tum demum post haberi posset, si metempsycholi locus daretur, immo præfens animæ status tale quid argueret, siquidem verum, quod *Socrati* visum fuit, animam jam præexistisse in statu perceptionum distinctarum, antequam corpori immergeretur. Quamobrem tria in immortalitate animæ distinguenda, indestructibilitatem, perseverantiam in statu perceptionum distinctarum, & subsistentiam personalitatis recte ursumus (§. 6.), ut completa ejus evaderet notio. Non dubito, *Leibnitium* quoque animadvertendum fuisse, perseverantiam in statu perceptionum distinctarum notionem immortalitatis exigere, siquidem in via analytica eandem indagasset aut personalitatis subsistentiam demonstrare suscepisset. Enim vero locus Theodiceæ hoc innuit, ipsum ad personalitatis subsistentiam in immortalitate animæ ideo delapsum esse, ut pœnas ac præmia post mortem adstruere possit. Quod cum ex Scriptura Sacra supponat, ipsum minime beneficio rationis notionem evoluisse non ex vano conligimus. Nobis vero animus est ex principiis rationis immortalitatem animæ tueri atque adeo aliunde ejus notionem petere nolimus.

De-



Demonstramus enim animæ immortalitatem in gratiam potissimum eorum, qui veritatem in Sacris paginis revelatam non esse veram mallent: unde in convincendi turpiter impigissimus methodum, si ea tanquam vera supposuissimus, quæ ab iis, contra quos disputamus, vel negantur, vel saltem in dubium vocantur. Requirit præterea *Leibnitius* ad immortalitatem animæ personalitatis subsistentiam, ne concedere teneatur animas brutorum esse immortales, quas cum *Joanne Scoto*, Doctore subtili, indestructibiles posuit. Enim vero nec nos notionem hypothesebus consentientem reddere studemus, sed potius ab omni hypothese liberam proponere allaboravimus, ut illis lapis lydius esse queat.

§. VIII.

Cum certum sit & nosmet ipsi infra uberius demonstraturi simus, animam non esse præmii ac poenæ a morte corporis capacem, nisi individualitas moralis conservetur & adhuc recorderetur, se esse eam, quæ in vita corporis has vel istas subiit actiones; ut religioni conducatur demonstratio animæ immortalitatis, non alio sensu demonstranda ea occurrit, quam qui a nobis (§. 6.) sistebatur. Atque adeo non exiguum momentum ad religionem contra Empæctas sæculi stabilendam attulisse speramus, dum non modo veram immortalitatis animæ notionem evolvimus, verum etiam ejus realitatem ex ipsa mentis intima natura demonstratam exhibebimus.

*Quoniam sensu immortalitatis anime religioni conducatur.*

§. IX.

Quamvis nemo fere Philosophorum genuinam & complete immortalitatis notionem tenuerit, eam tamen habuisse *Christum*, vel ex sola narratione divitis epulonis post mortem Luca XVI. manifestum evadit. Ex ea enim discimus, 1. animam ipsius a morte corporis superstitem fuisse: 2. eandem agnovisse Lazarum & Abrahamum atque adeo has personas aliasque circumstantias a se invicem distinxisse, consequen-

*Christum veram immortalitatis anime notionem habuisse.*



seque in statu perceptionum distinctarum perseverasse: 3. eandem recordatam fuisse fratrum in mundo superstitum, adeoque memoriam statuum præteritorum habuisse ac eos ad se pertinere agnovisse. Hæc igitur mire consentiunt cum iis, quæ de immortalitate animæ (§. 6.) diximus. Cum vero ejus notionem juxta regulas Artis heuristicae investigavimus (§. 29. seq.); non potest non hic consensus summa nos perfundere voluptate. Agnoscant hinc homines profani dogmatum *Christi* admirandam in simplicitate profunditatem!

## CAP. II.

ANIMAM ESSE NATURA SUA  
INDESTRUCTIBILEM DE-  
MONSTRAT.

## §. X.

*Insufficiencia argumentorum in demonstranda anima immortalitate a Philosophis allatorum.*

**I**mortalitatis notione evoluta, ad eam demonstrandam accedimus. *Socrates* jam jam animam efflaturus multa præelara cum amicis de immortalitate animæ ac ejus post mortem statu locutus. Enimvero aut rationes eorum, quæ asseruit, nullas protulit, aut eas reddidit, quæ evidentia parum vel nihil habent. Neque *Plato*, qui in *Phædone* illa uberiori manu tradidit, tantum iis affudit lucis, ut perspicacibus evidentiam non denegarent. Majori adhuc obscuritate laborant, quæ idem *Plato* in *Axioco* pro immortalitate animæ in scenam protulit. Unde non miramur, *Aristotelem*, etsi quæ *Socrates* & *Plato* docuerant, non ignoraret, cum artis demonstrandi esset peritus, testibus iis, quæ in Analyticorum libris eam in rem memoriæ prodidit, huc illucque fluctuantem, quo se verteret reperire non potuisse, modo in unam, modo in alteram contradictionis partem propendentem, ut ad eam alius mortalitatem, alius immortalitatem defen-

diffe



diffe visus fuerit. Inter scholasticos *Scotus* cum pro ea, quæ *Doctoris subtilis* nomen fecit, ingenii acie omnia argumenta tum a Patribus, tum a Philosophis afferri solita ad examinis incudem revocasset, perspexit tandem iis non inesse vim ad persuadendum, nisi quis ante fuerit per fidem hujus veritatis convictus. Quamobrem proprium acumen, quantumvis subtile, posterorumque sagacitatem desperans statuit, nullam afferri posse rationem, quæ animarum immortalitatem demonstret: qua in re non solum secum facientes habet *Ponticum* & *Boivinum* cum cæteris affectis, verum etiam *Conimbricenses*, *Arriagam* & plerosque Philosophiæ scholasticæ cultores. *Cartesius* peculiari opera caput de immortalitate animæ non tetigit, cujus in Synopsi Meditationum eam reddidit rationem, quod nihil scribere conatus fuerit, quod non accurate posse demonstrare. Et quamvis ibidem innuere videatur, se principia, unde immortalitas ipsius sequatur, dedisse; ipse tamen in Responsione ad objectiones secundas ingenue fatetur, non esse tanti ponderis, unde eadem necessario sequatur. Et nostro quidem iudicio tantum abest, ut inde probari possit animam sua natura esse immortalem, quin potius ne quidem ad indestructibilitatem asserendam sufficere videantur. Imo si, quod verum, fateri fas est, non multum a *Scoti* sententia absuit, cum in Epist. IX, Vol. I. p. m. 25. ad *Elisabetham* Principem Palatinam diserte fateatur, nos sola ratione de statu animæ post hanc vitam nullam certitudinem concipere valere: quod si vero nihil certi de eo concipere liceat, nec de immortalitate ejus certam nobis polliceri possumus cognitionem (§. 6.) Quam parum firma sint *Cartesii* principia in præsentis argumento ex iis, quæ *Ludovicus de la Forge* in Tractatu de mente humana c. 25 §. 5. p. m. 202. eadem repetens protulit, plenius constat. *Gassendus* prouti magis in lectione Autorum, quam in meditando fuerat versatus, non nisi argumentorum communium repetitorem agit, quorum imbecilitatem  
pott



post *Scotum* monstratam dedit, qui primus ex mente Doctoris subtilis integrum Philosophiæ cursum edidit, *Poncius*, Ordinis Fratrum Minorum, fol. 800. & seqq. *Leibnitius* etsi in Theodicea loco supra (§. 7.) citato de immortalitate animæ sermonem fecerit, eamque ab indestructibilitate nuda distinctam reddiderit, more tamen suo rationes dedit nullas, quibus assertionibus suis fecisset fidem. In Principiis Philosophiæ, quæ in gratiam Herois invictissimi, serenissimi Principis *Eugenii*, sermone gallico conscripta & *Actis Eruditorum* supplem. Tom. VII. Sect. XI. p. 500 & seqq. latine inserta leguntur ac sub Monadologiæ nomine idiomate germanico edita sunt a cl. *Kæhlero*, principia quædam tradit, quæ in evincenda animæ indestructibilitate usui esse possunt, sed rem omnem non conficiunt, quippe quæ ad immortalitatem succedendum facere poterant, sicco pede præterit.

## §. XI.

Quenam de  
indestructi-  
bilitate a-  
nimæ tra-  
dant Auto-  
res.

Ex his abunde intelligitur, nos operæ facturos præcium, si quod tot alios torfit, expediamus argumentum. Primum vero ostendendum erit, animam sua natura esse indestructibilem. Indestructibilitatem cum ejus simplicitate coherere veteres nonnulli perspexerunt: Enim vero neque hunc nexum distincte monstrare, neque simplicitatem immotis rationibus suffultam comprobarunt. Utrumque præstitit celeberrimus *Wolffius* in Meditationibus metaphysicis: sed principia illuc spectantia per totum opus hinc inde dispersa sunt, neque ea inde eruere ac ad præsens negotium transferre cujusvis esse videtur. Etenim non omnibus datum est attentionem tenere fixam, si a principiis ad conclusionem, quæ cum istis nihil affinitatis habet, descendere debent; rectius itaque iis consulitur, si conclusio in sua principia resolvitur. Quamobrem non inanem nos facturos confidimus operam, si analysi ista instituta, utrumque quod probandum uno



uno quasi obrutu comprehendendum ob oculos ponamus.

## §. XII.

Animam esse substantiam simplicem, perceptiones ejus probant. Perceptiones esse representationes rerum compositarum, cuilibet obvium est. Sed eas non posse fieri in composito, id quidem a *Cartesio* atque *Leibnitio* aliisque asseritur, aut non sufficienter demonstratur. *Materialista* contrario favent: dum enim perceptiones per motum materia alicujus subtilis in cerebro explicant, eas pro representationibus in composito factis venditant. Ut itaque appareat, a qua parte stet veritas, paulo accuratius nobis inquirendum erit in differentiam, quæ inter representationes in composito atque perceptiones nostras intercedit, quibus res materiales seu composita nobis exhibentur.

*Animam esse substantiam simplicem.*

## §. XIII.

Equidem non diffitemur, dari ideas materiales in motu alicujus materia subtilissimæ in cerebro facte consistentes, cum evidens sit ab impressionibus in organa sensoria factis eas oriri debere: sed eas diversas esse ab ideis immaterialibus in anima productis, vi quarum percipimus objecta in organa sensoria agentia, hoc est, quod contendimus, quodque in præsentiarum nobis venit demonstrandum. Duo deprehendimus, in quibus perceptiones animæ differunt ab ideis materialibus in cerebro, seu quacunque representatione in composito, nimirum quod perceptiones representent objecta extra animam, quodque huius representationis nobis conscius sumus, quod posterius *apperceptionem* appellat *Leibnitius*. Utrumque representationi in composito minime convenire posse reperio. *Leibnitius* equidem & *Wolffius* in eo a *Cartesio* dissentiunt, quod

*Differentia inter perceptiones & representationes in composito.*



apperceptio cum omni perceptione conjuncta sit, immo id fieri non posse demonstravit posterior in Meditationibus metaphysicis §. 730. & seq. Enimvero cum præfenti negotio perinde sit, siue omni, siue aliquibus perceptionibus apperceptio conjuncta sit, nostrum non est ea discutere. Implebimus officii numeros, ubi eas perceptiones, vi quarum nobis conscii sumus objectorum representatorum, in corpore tanquam composito sedem habere non posse, immotum dederrimus.

## §. XIV.

*Quales esse  
debeant  
perceptio-  
nos, ut ea-  
rum nobis  
conscii si-  
mus.*

Consideremus itaque, quales sint perceptiones nostræ, quarum nobis conscii sumus & quid ad hoc requiratur, ut earum conscientiam habeamus: ita nimirum judicare licebit, utrum eæ in composito, seu re corpora, locum habere queant, nec ne. Primum apparet, nos ea, quorum nobis conscii sumus, distincte percipere, hoc est, nobis ut differentia representare. Si enim in eo, quod percipimus, nihil discernimus, interroganti dicere haud valeamus, quid visu, auditu vel alio sensu attingerimus. E. gr. Si quis in platea cum amico sermonem conferat mente ad verba, quæ utrinque proferuntur, attenta, oculis vero in hominem prætereuntem directis, is etsi prætereuntem videat, cum fieri non possit, quin radii ab ipso in oculos illapsi imaginem lege consveta in tundo ipsorum delineent, vel quod viderit prorsus ignorat, vel quinam ille fuerit, quem tamen vidit, minime novit. Quodsi quis porro, quæ diversa sunt, discernere debet, eadem inter se conterre tenetur: etenim posthabita hac collatione fieri haud quaquam posse, ut de diversitate statuamus, neminem fore arbitror, qui non sua sponte largiatur. Quamvis adeo expeditum nobis foret, ex ipso judicandi actu (quem distincte ac perspicue,



spicue, more suo explicavit *Wolffius* l. c. §. 288.) istud demonstrare; in re tamen manifesta a radiosis merito abhorremus ambagibus, ne ullius turbetur attentio, ubi maxime figenda est. Ceterum in illa ipsa idearum collatione & percrutatione eorum, quæ ipsis insunt, *actus reflexus* consistit, de quo obscure admodum subinde loquuntur Philosophi, & unde cum notiones universales, tum judicia emanant. Enimvero est adhuc aliquid, quod in præsentī negotio omne fert punctum, sed non a quovis facile animadverti potest, a nobis adeo altius repetendum. Nimirum anima actum reflexum exercens non modo ideas rerum confert simul perceptarum, verum etiam ideam unius eisdemque objecti cum se ipsa, tanquam præsentem cum præterita: quod ut rite intelligatur, tenendum est, perceptionem quamlibet, cujus nobis conscius sumus, aliquandiu subsistere, h. e. per temporis aliquod intervallum, quod habet partes ipsa imaginationis vi adhuc distinguendas. Non arbitror fore, ut quid dubii supersit, si quis cogitet, a *Wolffio* in Meditationibus metaphysicis §. 692. evidentissime demonstratum esse, eam sufficere ad partes mille in tempusculo, quod in unico oculi nictu vel unico pulsus ictu elabitur, distinguendas. Licet adeo eadem idea nullum discrimen intrinsecum admittat, quo a se ipsa distingui posset: extrinsecum tamen adest, quo a se ipsa differre intelligitur, dum nempe existentem in hoc tempusculo distinguimus ab existente in modo præterito. Quoniam vero temporis partes per phænomena actualia in natura rerum notantur, nec aliter, quam per eadem a nobis distinguuntur: interea, dum eadem perceptio conservatur, e. gr. idea imaginis in speculo, quam contuemur, aliæ perceptiunculæ una animæ præsentis, cæsi vel maximam partem obscuræ sint, ut in iis vix quidpiam distinguatur, iterum prætereunt. Quam obrem



cum ex coexistentia ejusdem ideæ cum aliis, nunc itidem cum aliis eandem a se ipsa distinguere valeamus, certi hinc sumus, nos eam per aliquot jam momenta, exigui licet intervalli, habuisse, atque hac certitudine ejus nobis consciï evadimus.

## §. XV.

*Num idearum materialium productio in cerebro distincte satis explicari possit.*

Intelligimus nunc rationem earum perceptionum, quarum conscientiam habemus. Agendum itaque videamus, num eas in composito, hoc est, in corpore produci vires naturæ non excedat. Ideas materiales, quæ ab impressionibus objectorum externorum in organa sensoria ortum ducunt, motu spirituum animalium, seu fluidi nervi (nobis enim perinde est hic loci, quocumque nomine fluidum illud subtilissimum compellare volueris), in cerebro excitari, & ante (§. 13.) monuimus, & Materialistæ contendunt, & Philosophi largiuntur. Prodeat ex Materialistarum choro *Govvardus*, Medicus Anglus, qui nostro ævo Materialismum variis scriptis publice defendit, notionem animæ immaterialis pro impostura Philosophorum venditans. Is in tenamine, quo rationem & Religionem, si Superis placet, contra imposturas Philosophiæ vindicandam sibi sumsit, magno molimine adstruere conatur, materiam & motum esse unicum cogitationum fundamentum, atque ideo in altero Tractatu, quo in modernas animæ notiones inquirat & *Dodwellianas* de ejus immortalitate absonas hypothæsés refutat, cogitationes per continuas idearum in cerebro circulationes seu rotationes d. finit. Ex ceteris Philosophis, qui animæ immaterialitatem agnoscunt, nominasse sufficiat *Cartesium* in Tractatu de homine §. 29. & seq. p. m. 73. & seq. & qui ejus mentem optime cepit, *Ludovicum de la Forge* in Tractatu de mente humana c. 25. p. m. 201. Quemadmodum vero, quæ



quæ in oculo sunt, explicaturus, oculi structuram cognitam atque perspectam habeat, seu liquet ex iis, quæ Optici ac Phyci recentiores de natura visionis docent & arte imitantur: ita quoque eorum, quæ in cerebro contingunt, rationem redditurus, ex cerebri structura eandem petere tenetur. Enimvero quæ Anatomici de hoc argumento tradunt, parres non nisi maiores distinguentes, non sufficiunt. Ad minimas hic recurendum, quas nemo adhuc distincte enodavit. Scrutator minimorum ingenuus, *Antonius a Leeuwenhoek*, in Epistolis physiologicis, quas Delphis An. 1719: publici juris fecit, epist. 34. p. 320. fatetur se in indagazione cerebri sapius omnem operam olcumque perdidisse, dum exquisitissima etiam microscopia cuncta intricata admodum ac inter se perquam confusa stitissent. Cum tandem in perquirendo pertinaciter hæreret triduo, aliquis quidem se obtulit sucecessus, ast omnis in eo se exeruit, cerebrum constare ex fibrillis admodum exiguis admirando modo inter se contextis. Motus ergo fluidi nervei per illos tubulos explicaturus sciat necesse est, quinam sint tubulorum gyri, quomodo inter se communicent & cum nervis ad organa sensoria propagatis connectantur. Sed qua arte opus est, qua vi ingenii, ut in tanti artificii penetralia descendamus? Esti nuper in rimanda foliorum structura nobis non invita fuerit Minervæ haud quaquam tamen hanc in arenam prodire libuit, cum parum consultum nobis videatur ex tam abdita abyssorationes haurire eorum, quorum evidentia nullus non earum re potest, ne forte sint, qui ogganniant, latere adhuc nonnulla, per quæ in cerebro fieri possunt, quæ non posse fieri contendimus. Operam itaque tabimus, ut in genere demonstremus, fieri haud quaquam posse, ut ens compositum suarum, quæ in ipso sunt, representationum conscium sit.



## §. XVI.

*Apperceptiones non posse locum habere in composito;*

Fac esse objecti cujusdam visibilis representationem in composito. Quotacunque subtilitate gaudeat materia, non tamen alia ratione objectum representabitur, nisi excitatis motibus, quibus aliqua materiae portio ita limitatur, ut figuram objecto similem nanciscatur. Quodsi quis contendat sufficere motus alios ad representationem efficiendam; is quidem praeter omnem rationem sumit representari objectum quoddam ab eo, quod nihil prorsus similitudinis cum eodem habet; nobis tamen hic loci perinde erit, quodcunque sumat: neque enim in re maximi momenti iusto scrupulosiores esse convenit. Finge itaque, quoscunque volueris, motus in composito, quibus idea visibilis absolvatur: idea ista tamdiu subsistet numero unica, quamdiu motus iste perdurat. Jam ubi apperceptioni locus est, ibi idea, quatenus existit in hoc momento, distingui debet a se ipsa, quatenus existebat in praecedente, ope ceterarum perceptionum sociarum in utroque momento eidem coexistentium (§. 14.) Quales motus ad ideam, de qua nobis sermo est, in composito requiruntur, tales quoque ad ceteras socias minus durabiles necessarii sunt. Quibus admittis tantum coexistentia idearum sociarum patet; nihil vero adest, unde collatio idearum successive aliis sociis separata cum se ipsa & inde enascens diversitatis iudicium juxta notionem diversitatis generalem prodire queat. Quis ergo non intelligat, haec in composito locum habere non posse, atque adeo apperceptionem extra compositum quaerendam esse?

## §. XVII.



## §. XVII.

Quoniam eas omne vel compositum est, vel simplex, cum inter duo contradictoria non detur tertium; quicquid eorum, quæ actu sunt, composito non inexistit, in simplici reperiatur necesse est. Ostendimus apperceptionem, quam in numerum actuum unusquisque propria experientia quovis momento edoctus collocabit, in composito locum habere non posse (§. 16.) Quærenda igitur est in simplici. Quamobrem cum anima nostra conscia sibi sit suarum perceptionum (§. 13.); eandem esse substantiam simplicem tandem elucet. Atque hoc pacto demonstravimus, quod supra (§. 12.) asseruimus, perceptiones animæ probare, quod ipsa in numerum substantiarum simplicium sit referenda.

## §. XVIII.

Erunt forsitan, qui cum philosopho quodam in Anglia eoque non incelebri objiciant, demonstrationem nostram nondum satis firmo nitenti. Et si enim natura atque essentia compositi per se non admittat apperceptionem; fieri tamen potuisse, ut lupremus rerum conditor materiæ per omnipotentiam addiderit vim cogitandi. Avidus hæc arripit ambabus manibus *Corvardus* (1 c. §. 15.) & per Dei omnipotentiam fieri affirmat, ut materia cogiter; modum, quo id fiat, ignorari. Nec desunt alii, quibus idem phantasma sibi imponi placet. Sed miror Philosophos inter Metaphysicos caput ferentes eo usque progredi, ut suam in Metaphysicis turpiter adeo prodant ignorantiam. Quis enim ignorat, qui vel primis labris principia metaphysica degustavit, essentias rerum esse immutabiles atque attributa incommunicabilia, ita ut vis, quæ

*Sed in simplici & animam esse ens simplex.*

*An Deus per omni potentiam materiæ imperituri poterit apperceptionem.*



quæ simplici substantiæ propria, minime communicari possit compositæ, a cuius essentia & natura abhorret? Quem quæso rerum metaphysicarum paritum fugit, per omnipotentiam Dei in actum deduci non posse, nisi quæ per intellectum eius possibilia sunt?

## §. XIX.

*Animam  
esse inde-  
structibili-  
tem.*

Evicimus adeo animam esse substantiam simplicem atque a materialibus, quæ in classem compositorum ponenda, plane diversissimam. Unde pronò alveo, eam natura sua indestructibilem esse, fuit. Cum enim simplex partibus careat, nulla in eo dissolutio, nulla partium transpositio, vi cuius essentia ejus (quod in compositis accidit) immutari posset, obtinet. Cujus vero essentia nec dissolutione, nec transpositione interna partium actu definire potest; illud sua natura indestructibile est. Quodsi objicias locum esse transformationi; dubium hoc jam in fumum abire jussit cel. *Wolffius* l. c. §. 130. Etenim aut transformatio illa sequitur vi naturæ simplicis ex statu ipsius antecedente, aut causam habet extrinsecam. In priori casu erit substantiæ simplici naturalis, atque adeo eadem non cessat, sed ex statu anteriore in alium vi naturæ suæ defertur. Idem in casu posteriore regetendum, si quidem in essentia rei, quæ in individuo consistit, supermanet. Quodsi vero essentiam mutari dicas, perinde erit, ac si substantiam simplicem annihilari & ejus loco aliam alterius essentiaæ produci, assereres: quod non ad rhombum.

## §. XX.

*Cur objecta  
extra se  
percipiat.*

Ceterum quando perceptionibus apperceptio adhæret, iisdem quoque objecta, quæ exhibent, extra animam representantur. Anima enim extra se percipit, quæ



quæ a se distincta cognoscit. Eorum vere, quorum sibi conscia est, diversitatem non minus inter se, quam a se ipsa illa percipiente advertit. Quamobrem cum in composito apperceptio inesse nequeat (§. 17.), neque etiam fieri pot. st, ut compositum seu ens corporeum objecta extra se repræsenteret: unde in hoc quoque perceptiones a repræsentionibus in composito differunt quod nobis probandum (§. 13).

CAP. III.

ANIMAM A MORTE CORPORA-  
RIS PERSEVERARE IN STATU PERCE-  
PTIONVM DISTINCTARVM,  
OSTENDIT.

§. XXI.

**C**Um anima sua natura indestructibilis sit (§. 19), corpus vero mortuum intereat, dum structura eius prorsus dissolvitur (§. 3), quæ corporis interitum causantur, animam destruere ne sciunt. Nulla igitur apparet ratio, cur non a morte corporis supersit. Nisi superesse deberet, annihilanda foret. Enimvero, quoniam ne minima quidem materiæ particula in corporis dissolutione in nihilum redigitur (§. 3); ut omnes uno ore loquuntur; ita nec in morte causâ naturalis adest, quæ animam annihilare possit. Quodsi objicias, fieri forsan posse, ut Deus eandem annihilaret; tenendum est nos hic loci non quæ-  
*Animam cum corpore non interire.*

C

terum



terum quia nihil materiæ perit, dum corpus diffatur, neque adeo ullum simplicium, quorum aggregatione particula materiales emergunt, annihilatur; sane nulla adest ratio, cur anima, quæ substantiarum simplicium in hoc aggregato nobilissima est, a Deo annihilari debeat, præsertim cum ostensuri simus, eam absque corpore operationibus suis defungi posse.

## §. XXII.

*Eam absque Corpore perceptiones ac appetitus continuare posse.* Nimirum *Cartesius* primus reperit, vi corporis nullas in mente produci ideas, atque *Leibnitius* monuit *Wolffus* vero in Meditationibus metaphys. §. 744. & seq. abunde demonstravit, omnes animæ perceptiones vi eidem propria produci, quæ mutationibus in organis sensoriiis factis tantummodo respondeant ob *Harmoniam* a sapientissimo Conditore præstabilitam. Corpore adeo ad animæ perceptiones ac inde orientes appetitus per nullum influxum positivum concurrente, nihil sane obstat, quo minus anima perceptiones suas continuat, etiamsi corpus pereat. Obiter hic monemus, *Systema Harmoniæ præstabilitiæ* ex novo capite commendandum esse, quod scilicet ipsius beneficio adeo evidenter pateat, animam corpore pereunte perennare posse.

## §. XXIII.

*Corpus animæ impedimento esse in percipiendo.* Enimvero non modo corpus nil confert ad animæ perceptiones, verum etiam impedit, quo minus magis sint distincta. Cum enim ea lege eandem evolvère teneatur, ut mutationibus in organis sensoriiis respondeant; confusa sint necesse est, ubi motus in organis confunduntur. Nihil vero obstat, quo minus hæc Harmonia sublata, quod in ejus gratiam confusum erat, postea fiat magis distinctum, vi percipiendi ab hæc  
lini-



limitatione libera & ad perfectiorem gradum evecta. Adverterunt hoc *Socrates* atque *Plato* in *Phaedone*, qui corpus animæ impedimento esse philosophati sunt, insimulque spem concepere non exiguam fore, ut ab eo libera ad longe distinctiores perceptiones ascendat.

§. XXIV.

Animā nec in somno cessat a percipiēdo, etsi perceptiones producat adeo confusas, ut nihil prorsus ne in totalibus quidem, hoc est in iis, quæ una præsentibus sunt, distinguat: id quod *Wolffius* (l. c. §. 795. & seq) demonstravit. Est igitur, dum dormit, in statu perceptionum confusarum. Constat vero eum tum esse corporis statum, ut, quanivis organa sensoria feriantur, nullæ tamen ideæ materiales in cerebro producantur: quamprimum enim id contingit, ex somno evigilamus reditque animæ status perceptionum distinctarum. Fuerunt hinc nonnulli, qui perpendentes cum corporis morte idearum materialium productionem in cerebro prorsus cessare ipsaque organa sensoria haud ita multo post corrumpi, animas a morte corporis dormire conlegerunt, h. e. in statum perceptionum confusarum incidentes non amplius ideas evolvere, sed involvere. Enimvero ignorarunt hæc ita consequi, quamdiu anima corpori juncta, vi harmoniæ præstabilitatæ, consequenter a statu animæ corpori unitæ ad statum separatæ non valere consequentiam. Sane quamdiu corpus vivit, tamdiu animæ perceptiones ab eo limitantur: corpore corrueute ipsa ratio svadet, eundem non subsistere in anima limitationis modum, sed statum consequi præsentē diversum.

*Num anima sit in statu perceptionum confusarum post mortem.*

§. XXV.

Animam præexistisse antequam corpori uniretur, *Animam*  
cum



antequam  
corpori uni-  
retur præ-  
existisse in  
statu percep-  
tionem  
confusarum

cum *Socrate* agnovit *Plato* in *Phædone*, quamvis ejus rationes plus ingenii quam soliditatis mihi habere videntur. Ast nemo non idem concedet, cui ex *Metaphysicis* perspectum est, substantias simplices, in quarum numero anima est (§.17), naturaliter oriri non posse, sed per creationem prodire, atque ex *Philosophia* naturali innotuit, ipsa quoque corpora in generatione non demum formari, sed ex organico præexistente evolvi. Quoniam itaque *Wolffius* l.c. §.1041. demonstravit, miraculis non esse locum, ubi naturaliter quidpiam fieri potest; nulli sane dubitamus animam præexistisse in eo, quod organici ante generationem corporis præexistit, atque perceptiones ejus organis hæc convenienter limitatas fuisse, ut perpetuus conservaretur inter organa corporea & animæ perceptiones consensus nec per miraculum demum harmonia inter utrumque oriatur in generatione. Corpus ante generationem præexistit sub forma animalculi spermatici, in quo non alias in organa concipere licet impressiones, quam quibus perceptiones confusæ satisfaciunt. Unde patet, animam antequam huic corpori uniretur, fuisse, in statu perceptionum confusarum. Quod si quis admittere nolit, corpus humanum prodire per animalculi spermatici in utero transformationem, hunc constructum teneat argumentum, quod addam, pure metaphysicum. Singulis momentis experimur, vi imaginationis produci præteritas affinitatis quidpiam cum præsentibus habentes. Quod si ergo anima præexistisset, antequam huic corpori uniretur in statu perceptionum distinctarum; fieri non posset, quin subinde, in infantia præteritæ perceptiones præterita distincta recurrerent, cujus nullum prostat exemplum.



## §. XXVI.

Anima igitur in corporis generatione ad gradum nobiliorem evecta est: sed quid accidere dicendum est, ubi, corpore intereunte, limitationes, quibus cingitur, variantur (§. 24)? Nulla adest ratio, quæ eam a morte corporis ad pristinum remigrare statum, quem, antequam corpori immergeretur, obtinuit, innuit (§. cit.) Quemnam igitur sibi vindicabit statum? Nobis non impervium ac insuperabile videtur, rationes eruere, quæ animæ a morte corporis perceptiones totales distinctas vindicent. Si nullæ rationes positive suppetent, id sufficere posset, quod nullæ in contrarium prostant, imo hoc non leve persuadendi haberet pondus argumentum, quod in morte corporis nulla contineatur sufficiens ratio, cur perceptiones distinctæ cessare dicuntur. Enimvero, si tantum modo mentis nostræ indolem intimius rimari voluerimus, nec positivis carebimus. Corpore intereunte, animæ vi nihil decedit, cum ipsum physice nil conferat ad perceptionum mentis actualitatem (§. 12). Cur ergo non retineat, quod habet? Atque tanto major de eo nobis affulget spes, quod, dum insignis aliqua animæ mutatio in generatione accidit, ea tamen non amiserit, quod habeat. Gaudet enim vi confuse percipiendi (§. 25): sed non modo in ipso quoque corpore, verum etiam alternis vicibus perceptiones mere confusas producit, dum nempe somno occupamur. Et si adeo vis animæ novas limitationes adipiscatur (§. 24); non tamen opus est, ut habitus durante corpore acquisitos per saltum amittat, cum innumeri restent claritatis gradus, quos perceptiones attingere valent. Immo quod eos non amittat, sed ad ulteriorem evectur

*Animam a morte corporis esse in statu perceptionum distinctarum.*



gradum, ex factis hactenus mutationibus majoribus, qualis est, quæ in generatione accidit, haud obscure colligitur: hac enim teste docemur, in iis progredi animam ad gradum ulteriorem, nequaquam autem regredi ad citiores.

## CAP. IV.

TANDEM EVINCIT, ANIMAM  
REVERA ESSE IMMORTALEM.

## §. XXVII.

*Demonstratio  
Wolfiana  
expeditur.*

**P**ostquam igitur evicimus, naturæ animæ non repugnare, sed potius convenire a morte corporis statum perceptionum distinctarum (§. 26), quod cum *Socrate* gratis supposuit *Plato*, in tota autem immortalitatis demonstratione utramque facit paginam plurimosque obrulit scopulos; nihil difficultatis restat, quo minus Animam post mortem Corporis statum personalitatis conservare expediamus: quod erat præsentis institui tertium. Sufficeret argumentum, quo utitur *Cel. Wolfius* in l. c. §. 926. & quod optime concludit, si quidem supponas, quod a nobis (§. 26.) monstratum fuit, animam a morte corporis in statu perceptionum distinctarum perseverare. Neque enim ex eo solo, quod status post mortem rationem contineat in statu ante mortem & ex eo vi naturæ mentis consequatur, fluit, quod perceptiones post mortem productæ efficere possint, ut earum in vita recordermur. Quis negare ausit, perceptiones confusas, quas in somno habemus, vi naturæ mentis consequi ex iis, quas vigilantes habemus? quis vero unquam expertus est, quod in somno recordatus fuerit statuum suorum, qui vigilandi adsuerunt?

## §. XXIX.



## §. XXIIII.

Rationibus itaque cerei, animam a morte corporis habere perceptiones distinctas atque adeo cum sui, tum earum fibimet consciam exillere (§. 14), fieri sane non posse abunde intelligimus, ut, per legem, ad quam productionem perceptionum constanter attemperat, ex præteritis reproducat, quæ affinitatis quidpiam cum præsentibus habent, atque hoc subsidio statuum præteritorum recordata agnoscat, se eam esse, quæ ante illos status subierit, nunc vero præsentis experiatur. Eo ipso autem, dum novit, se eandem esse, quæ olim in corpore hospitata, memoriam sui habet atque personam suam tuctur.

*Animam  
statum per-  
sonalitatatis  
consecrare.*

## §. XXIX.

Vicimus ergo, animam natura sua esse inde structibilem (§. 19), nec cum corpore interire (§. 21), quin potius a morte corporis superesse, ac perceptiones suas continuare (§. 22): imo tantum abesse, ut in statum perceptionum consularum incidat (§. 25), ut spes potius effulgeat maxima, eam perceptiones magis distinctas evoluturam, quam in vita corporis (§. 26), atque eandem, quam in vita corporis, personam sui probe memorem tueri (§. 28). Verum enim vero ens istud, cui singula hæc prædicata conveniunt, immortalitate gaudet (§. 6.) Ergo evicimus, vicimus Animam esse immortalem.

*Animam ef-  
se immorta-  
lem.*

## §. XXX.

Hoc igitur extra omnem dubitationis aleamposito, animam in eo, quem a morte corporis possidet, statu præteritorum suorum statuum, quos in corpo-

*Animam  
post mortem  
corporis esse*




*præmiorum  
& pœna-  
rum capa-  
cem.*

re tenuit, recordari, atque probe sibi consciam esse, se olim in hoc illove exitisse rerum articulo: nec video, quomodo ullum superesse queat dubium, quod a commercio corporis sejuncta præmiorem ac pœnarum capax sit ob actiones, quas eidem conjuncta paravit. Quandiu enim hac ratione personam suam tueretur, nil sane obstat, quo minus rationem status sui præsentis percontata intelligat, se ob olim benefacta præmiis ornari, vel ob delicta & scelera commissa pœnis excruciarî. Quod si notionem ejus, quod voce *Ego* indigitamus nequiquam conservaret, miseriæ vel felicitatis suæ rationem nequaquam caperet, neque adeo felicitas præmii, nec miseria pœnæ locum haberet, quoniam scilicet ignoraret, miseriam vel felicitatem esse actionum in vita corporis perpetratarum sequelam. Eorum itaque non immerito nobis pollicemur adplausum, qui veritatis amantes intelligent, quantum hæc demonstratio de immortalitate animæ

Religioni ad tot sæculi depravatos & in propria viscera favientes homines coercendos  
exp. diat.

T A N T U M.





CHRISTIANI WOLFFII,  
POT. REGIS PORUSSIAE CONSILIARII AULICI,  
MATHEM. ET NATUR. P.P. O. SOCIET. REG,  
BRITAN. ET BORUSS. SODALIS. ORDINIS PHILOSO.  
PHORUM p. t. DECANI,

EPISTOLA GRATULA-  
TORIA

AD  
NOBILISSIMUM  
DN. RESPONDENTEM.






Immortalitatem animæ defendere Philosophi omnes volunt; sed ad pervidendum, quibus eandem rationibus valide tueantur, tantum non omnes caligant. Non mirabitur, qui, doctissime Respondens, dissertationem, cujus defendendæ gratia in arenam descendis, vel fugitivo oculo perlustraverit Vidit Autor mentis acie pollens, quid sibi velit immortalitas animæ, plurimos non videre. Ab iis autem, qui, quid demonstrandum sit, ignorant, frustra demon-



monstrationem expectaveris omnibus absolutam numeris. SOCRATES olim atque PLATO agnoverunt, indestructibilem esse naturam suam animam, & meo quidem iudicio suppeditarunt principia, quibus, quod docere, demonstrari potest: sed animam a morte corporis individualitatem moralem servare minime adverterunt, tantum abest ut de ea evincenda cogitaverint. Immo sunt quaedam apud PLATONEM in PHEDONE, unde suspicari licet, SOCRATEM cum PYTHAGORA individualitatis moralis subsistentiam negasse. Recentius LEIBNITIUS pro ea, quae Viri summi erat, perspicacia observavit, animam immortalitatem non sufficienter probari, nisi suppleas, quod a SOCRATE & PLATONE fuerat neglectum, quamvis, quomodo suppleri debeat, non docuerit. Anceps ac periculi plenum videtur, quod summorum virorum elusit impetus aggredi. At tenuis est animi despondere scientiam, quam intentatam reliquit indefatigabilis industria. Ad sublimia nituntur excelsa ingenia. Nihil non inveniunt, ubi pertinaciter quaerunt. Ego, quod nosti, in Meditationibus metaphysicis ex principiis, quae PLATO facile agnoverit, deduxi animam suam naturam esse indestructibilem & a morte corporis individualitatem physicam ejus subsistere. Ex principiis domesticis monstravi, quod etiam individualitas moralis subsistat: suppositi autem, quod ulterius evolvi debebat atque per principia mea stabiliri poterat, animam a commercio corporis liberam in statu perceptionum distinctarum perseverare. Telam hanc non infeliciter pertexit dissertationis hujus Autor doctissimus, sicque complevit demonstrationem arduam, ut non habeant intelligentes, quid desiderent amplius. Tu, suadentibus Patronis, Parente optimo hortante, in percipiendis dogmatis meis privatam hactenus defatigasti industriam accuratus, attentus,



tus, sedulus. Ut probes, quid profeceris, multis & gravibus argumentis animæ immortalitatem defendis. Ausus profecto non exiguus. Ex dissertatione, quæ summa ingenii vi conscripta est, mascule defensa major Tibi accedit gloria, quam ex triviali scriptione nascitur. Quem Præsidem elegisti, quem Præceptorem veneraris, principiorum meorum adeo gnarum, ut, applaudentibus melioribus, iis ulterius promovendis se parem ostenderit, eum porro Ducem sequere. Sic erit tempus, quo & ipse dogmata mea, ad religionis tutamentum judicio Theologorum gravissimorum adeo necessaria, plene planeque perspicias & novis accessionibus amplifices. Augēbis vero non minus gaudium, quo nunc Parentem venerandum perfundis, de studiis Tuis ex tam præclaro Ipecimine optima quæque ominantem, quem Deus Tibi, Te ipsi servet! Vale. Dabam d.IX.  
Decembris A. 1721.





01 A 6731

ULB Halle

3


004 122 828











29

DEMONSTRATIO  
IMMORTALITA-  
TIS ANIMÆ

EX  
INTIMA EIVS NATVRA  
DEDVCTA.

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
LVDOVICI PHILIPPI  
THÜMMIGII,

REGIÆ BORVSSICÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM SOD A-  
LIS, ORDINIS PHILOSOPH. ADJVNCTI.

PVBLICE DEFENDIT  
CONRADVS HENRICVVS MENSCHINGIVS

BÖRRY - HANNOVERANVS,

H. L. Q. C.

DIE XII. DECEMB. AN. MDCCXXI.  
ALTERA VICE RECUSA. A. 1723.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Literis JOH. CHRISTIAN. HILLIGERI, Acad, Typ.